

funguntur, quo maiori zelo et efficacia ad ea incumbunt. Ex eorum diligentia non solum morum integritas, religionis studium, fidei ac pietatis fervor in populis, verum etiam ipsa tum privata tum publica tranquillitas et felicitas pendere videtur; ita ut optimus parochus uberrimos fructus populo suo semper afferat; negligens autem et piger paucissimos aut nullos. Ideoque Sanctissimus Pius IX veracissime scripsit: « scimus enim vero, parochis officii sui ignavis vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exsolvi atque convelli, ac vitia omnia et impietates in Ecclesiam facile invehi. » (Encycl. *Qui pluribus* 9 Nov. 1846). Ut ergo tam ingentia mala ab Ecclesia Dei avertantur, utque copiosissimae spirituales Dei gratiae amplissimae benedictionis segetes colligantur, haec sequentia de parochorum officio decernere statuimus:

I. — Memores sint Episcopi omnes animarum curatores ea vitae innocentia ac morum honestate, ea pietatis, religionis ac sapientiae laude praestare debere, qua decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei instructos esse, (1 Corinth. c. IV, v. 1) ut facti forma gregis ex animo, in omnibus se praebeant exemplum bonorum operum, in doctrina, in gravitate, in integritate (Ep. ad Tit. II, 7). Tales ergo sint sacerdotes quos parochos nominent, curam animarum exercituros.

II. — Parochi divino praecepto sibi mandatam esse considerent, oves suas agnoscere, pro eis sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere; et in cetera omnia munera pasto-

ralia incumbere; quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, nec assistunt, sed eum mercenariorum more deserunt (Conc. Trid. sess. XXIII, c. 1, *De reform.*).

III. — Videant ergo parochi ex praeinsertis clarissimis verbis, quam stricte ad residendum in suis paroeciis teneantur, et qua de causa Trid. Sacra Synodus declaravit culpae reos esse, qui ab Ecclesia sibi commissa, abfuerint, nec iure percipere posse fructus illius temporis quo abfuerint (Conc. Trid. *ibid.*). Sciant itidem, iuxta diversas S. Congr. Concil. declarationes a residentia eos non eximere neque aetatem senilem, neque parvum parochianorum numerum, neque aëris intemperiem, neque studiorum rationem, neque pestilentiam, neque inimicitiam, nisi ab auctoritate legitima dispensentur.

IV. — Attamen, quando christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia aut evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas iustam absentiae praebeant causam, Episcopus causas ipsas agnoscere debet et approbare, quibus factis suam licentiam *in scriptis* concedere poterit, ut parochus ad tempus absens sit e sua paroecia.

V. — Ex pluribus S. Concil. Congr. Decretis constat neminem, curam animarum habentem, a paroecia secedere posse quin aliquis sacerdos deputetur, qui vice eius fungatur. Episcopus ergo in talibus licentiis concedendis hanc legem servare procuret.

VI. — Si absentia Parochi ultra triduum protendatur, sed non ultra hebdomadam, licentiam petant in civitate a suo Episcopo, vel ab eius Vicario Generali; extra autem, a Vicario Foraneo ipsius districtus, si commode ad Episcopum recurrere non possunt; si vero

ultra hebdomadam, omnes ab Episcopo vel a suo Vicario Generali veniam in scriptis postulent, causa absentiae ingenue exposita, neque prius discedant, quam licentiam obtinuerint. Postquam vero in paroeciam reversi fuerint, statim de reditu suo certiores faciant Episcopum vel illum a quo proxime tradita fuerit licentia.

VII. — Occurrente autem causa aliqua gravi, urgente et necessaria subito discedendi, quae moram non patiatur, seu sit periculum in mora ad petendam et accipiendam veniam, tunc parochus relicto idoneo sacerdote, illum supplente, discedere poterit absque licentia praehabita; sed illico per litteras vel directe, vel per Vicarium foraneum debet Episcopum et de suo discessu et de eiusdem causa monere, et etiam de suo regressu statim certiores facere.

VIII. — Licentia discedendi ex iuxta causa et etiam aliquando recreationis aut vacationum gratia non concedatur nisi ad bimestrem sive continuum sive interruptum in anno (Conc. Trid. sess. XXIII, c. 1). Sed infirmitatis causa ad trium vel quatuor mensium tempus protrahi poterit. Si autem maioris temporis spatium necessarium fuerit, provideant Episcopi, prout in sua prudentia et consilio aestiment.

IX. — Parochi numquam e paroecia absint tempore adventus et quadragesimae ac in solemnioribus anni solemnitatibus, nisi ex gravissima causa quae ab Episcopo erit approbanda.

X. — Hac strictissima lege tenentur parochi diu noctuque in paroecia manere, nec licet illis per diem vel per noctem tantum in ea esse, et reliquo tempore *habitualiter* extra ipsam sive in civitatibus sive in oppidis maioris praestantiae et commoditatis (S. Congr. Con-

cil. 1687). Item non tantum in paroecia, sed in domo parochiali, si adest, residere debent, eaque deficiente, in alia quantum fieri possit, ecclesiae parochiali proxima, sub poenis a iure praescriptis, si saltem sine venia istis praeceptis non subiiciantur.

XI. — Ut autem obligationi sui officii satisfaciant parochi, materialis non sufficit residentia, quae non otiosa et desidiosa sed laboriosa, et quidem sola proprii officii causa esse debet. Summam igitur diligentiam adhibeant parochi ad cognoscendas oves sibi commissas; visitent saltem bis in anno pagos, vicos et parvos degentium coetus, (vulgo *Ranchos*), ut boni pastoris officium adimpleant. Omnium mores accurate explorent, et diligenter investigent an in sua paroecia concubinarij, aliique perditii homines existant; an pestiferi libri et impudicae imagines extent, an pueri rite educantur, an praecipue inter indos cultus idololatricus daemone exhibeatur, sive in cavernis aut aliis occultis in locis, prout inter indos de more est; an actus superstitiosos exercent, atque alia denique eiusmodi ediscere satagant, ut si quae religioni et rectae disciplinae adversari noverint, opportuna eis remedia provideant, errantes ad salutis semitam revocent, scandala omnia radicitus evellere contendat, et zelo ardenti, Dei gloriam et animarum salutem sine intermissione procurent.

XII. — Maximo studio pietatem foveant, et populum ad iuste et pie vivendum numquam desinant. Studeant igitur speciatim inter indos ea omnia avertere, quae in ecclesiis a loci sanctitate et decore aliena sunt; parochianos suos ad se diligenter attrahere procurent, neminem ex eis sua offendant asperitate, sed misericordiae viscera induti, comiter potius ac blande

omnes excipiant, tam divites quam pauperes, tam indos quam alios alterius stirpis, tam urbanos quam inurbanos, tam iustos ac devotos quam errantes et peccatores, ut omnes Christo lucrifaciant; parochus enim totus omnium generatim, exclusive autem nullius est.

XIII. — Meminerint parochi se ex divino praecepto teneri sacrificium Missae celebrare, et etiam pro populo sibi commissio applicare in omnibus Dominicis et festis per annum, etiam in illis quae per S. Sedis decretum abrogata fuerunt. Haec autem gravissima obligatio ita personae parochi adhaeret, ut tantummodo in casu infirmitatis per alium sacerdotem satisfacere possit, cum haec applicatio recenseatur inter pastoralia munera, quae parochi ratione officii incumbunt. Neque ista applicatio, ad alium diem transferenda erit arbitrio parochi, nisi in casu gravis necessitatis, et ad hoc faciendum, consulat probatos auctores.

XIV. — Item parochus, non legitime impeditus, debet Missam pro populo celebrare in propria parochiali Ecclesia, et tantum cum ob graves et iustas causas a paroecia absit, poterit ibi pro populo applicare ubi actu commoretur.

XV. — Qui duas regunt paroecias, et licentia Episcopi muniti, bis celebrant diebus festis, utramque Missam pro populo respective applicare tenentur, quin eleemosynam accipiant; neque pro secunda Missa eam accipere possunt, qui, ex indulto ob gravem causam ab Episcopo vel suo Vicario concesso, illam celebrant in propria vel in alia ecclesia non parochiali, ad subveniendum necessitati fidelium. Si autem paroeciae unitae essent per modum unius, ut frequenter accidit, parochus ad duplicem applicationem non tenetur.

XVI. — Parochi omnes ad fovendam fidelium pietatem erga sacratissimum Missae sacrificium, in his praesertim ecclesiis ubi unica quotidie est Missa, hanc etiam diebus ferialibus ea hora celebrent, quae opportunior sit iis qui assistere et possunt et desiderant; et generatim, quantum in ipsis est, ea omnia impedimenta semoveant, quae fideles a pietatis operibus saepius ac impensius exercendis possint remorari.

XVII. — Parochi omnes, in quantum fieri possit, per seipsos et non per alium sacerdotem peragant principales sui ministerii functiones: itaque ipsi faciant benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, Fontis baptismalis, Divina officia diebus maioris hebdomadae et in festo Sacratissimi Corporis Christi, necnon, in quantum fieri potest, communionem paschalem in Dominica Resurrectionis ministrent. Ad eos enim, pro ipsorum dignitate et officio haec omnia de iure pertinent.

XVIII. — Divini verbi praedicatione plebem sibi concreditam parochi pascere iubentur, et quidem sub gravi, quin in contrarium valeat consuetudo, etsi immemorabilis, quae ut abusus damnatur, et eliminari praecipitur (Conc. Trid. sess. v, cap. 2 *De reform.*). Itaque singulis diebus Dominicis et festis inter Missarum solemnias suos fideles instruant salutaribus verbis, cum facilitate et brevitate sermonis, in iis omnibus quae necessario scire debent, tum ad animarum suarum salutem obtinendam, tum ad pietatem in exercendis virtutibus fovendam, et vitam christianam instaurandam et perficiendam.

XIX. — In Quadragesima vero frequentius hoc praedicationis ministerium adimpleant; ad praecepta de sacramentali confessione et de paschali communionem adimplenda diligentissime instruant, et adhortentur.

XX. — Hanc ergo de divini verbi praedicatione gravissimam obligationem ab omnibus animarum curam gerentibus adimpleri praecipimus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis ad iuris normam infligendis, (Conc. Trid. loc. cit.) per seipsos, nisi legitimo impedimento detineantur; tunc enim per alium sacerdotem idoneum proprium implere debent officium.

XXI. — In Missa parochiali populum moneant parochi de festis, et de vigiliis ac ieiuniis per hebdomadam forte occurrentibus; et de illorum observantia edoceant, atque de indulgentiis quas lucrari possunt, deprecationibus aliisque piis actibus, quae fieri contigerit. In ipsa Missa fieri etiam debent banna matrimoniorum quae celebranda sint.

XXII. — Parochos omnes adstringimus, ut pro viribus parvulorum scholas instituunt, et etiam scholas nocturnas et dominicales, pro adultis, ut in illis tam pueri quam adulti in primis litteris, ut vocant, instruantur, et praesertim in religionis cognitione exercentur.

XXIII. — Praescripto Conc. Trid. et Summorum Pontificum satisfacere volentes, parochis praecipimus, ut saltem Dominicis aliisque festis diebus catechismum doceant pueros aliosque praesertim rudes, ut fidei rudimentis imbuantur. Ad hoc enim teneri, et etiam per censuras compellendos esse renuentes vel negligentes decrevit S. Conc. Trid. Synod. (Sess. xxiv, c. 4 *de Reform.*), quin in oppositum allegari possit consuetudo vel alia causa. In id totis viribus parochi incumbant; saepe parentes et dominos moneant de gravi peccato in quo ipsi incurrunt, cum suos filios et servos, fidei rudimenta ignorantes, ad ea ediscenda mittere negligunt, et ipsi ac ceteri confessarii in excipiendis con-

fessionibus, eosque interrogare non omittant de huius gravis obligationis implemento.

Suam ergo obligationem considerent parochi, et opere compleant, in memoria semper habentes, quod iuxta Trid. Conc. praescriptiones, duae prorsus distinctae obligationes parochis assignantur, una, scilicet de verbo divino ad populum praedicando; altera personalis omnino de rudibus et de pueris et puellis in catechismo edocendis.

XXIV. — Cum ex provida catechismi institutione, qua aeternae animarum saluti providetur, pastor teneras oves doctrinis fidei sedulo enutriat, et ex hoc officio rite perfuncto parochiarum recta administratio dependeat; parochi indesinenter in ea laborent, piosque laicos assumant, ubi deest sacerdotum copia, ut per vicos et pagos catechistae sub ipsius directione, opera sua fungantur, praecipue inter indos, qui frequentissime in iis quae ad salutem sunt necessaria, ignorantia summa laborant. Erga eos omnia caritatis officia et industrias adhibeant, ut hanc tam exitiosam ignorantiam quantum depellant.

XXV. — In iis omnibus officiis pro scholis instituendis, catechismo edocendo, et rudibus in doctrina christiana instruendis, parochi suos coadiutores seu ministros aliosque sacerdotes sibi associari non renuant, nec impediunt; nam ministerium hoc pergrande opus est; ac proinde in illud omnes Ecclesiae sacerdotes incumbere debent.

XXVI. — Quando pueri ad aetatem discretionis pervenerint, parochi pueros et puellas ad ecclesiam convocent, et eos instruant seduloque et diligenter edoceant circa primam communionem, explicantes quid agere necesse sit ad vitam recte instituendam, etc.

XXVII. — Prima communione peracta, omni industria caritatis parochi pueros et puellas rursus adducere nitantur, ut magis in addiscenda christiana doctrina, sacramentis frequentandis et excolenda pietate fideliter perseverent, mediaque aptissima ad id assequendum proponant, ut sunt pia sodalitia Sancti Aloysii Gonzagae pro pueris, et Filiarum B. V. Mariae pro puellis.

XXVIII. — Inquirant studiose de pauperibus, praesertim de orphanis, de aegrotis senioque confectis, aliisque personis miserabilioribus, quibus per se, vel per alios opitulari studeant, neque se pastoris munere satis functos esse existiment parochi nisi pauperum « aliorumque miserabilium personarum paternam curam gerant » (Conc. Trid. sess. XXIII, c. 1 *de Reform.*). Eleemosynam igitur praebeant non solis petentibus, imo et inquirant diligenter de pauperibus occultis, qui verecundia impediti, petere non audent; et si per se impares sint parochi huiusmodi necessitatibus sublevandis, egenorum causam agentes, enixe pro eis divitum subsidia implorent. Ideoque ut facilius finem assequantur, sodalitates caritatis et misericordiae operibus intentas instituere et fovere sedulo curent: in nulla paroecia desit pro viris Conferentia S. Vincentii a Paulo, et pro feminis, Confraternitas ab eodem Sancto nuncupata.

XXIX. — Ne parochi alienis occupationibus a sacris ministeriis distrahantur, ac praesertim ne avaritiae notam apud fideles incurrant, ad mentem Concilii Mexicani III (lib. III, tit. 20) prohibemus, ne in paroecia sua vel in vicinis, lucrandi causa, agros per seipsos excolant, vel administrent, nisi de licentia Episcopi. Potiori de causa illis interdiciamus, ne in nego-

tiationibus et quod peius esset, in lucris pecuniae illicitis se immisceant. Haec nostra prohibitio et interdictio afficit eos omnes, qui sive per se, sive per interpositam personam id faciant.

XXX. — Si (quod Deus avertat) parochi has leges transgrediantur, Vicarius foraneus illos denunciare debet Episcopo, et parochus antiquior Vicario foraneo, ut Episcopus provideat quod opportunum in Domino iudicet.

XXXI. — Totius Ecclesiae, cui praefecti sunt, curam gerere debent parochi, et imprimis studere, ut nihil ex illius bonis et proventibus dispereat, atque expensa cum acceptis coequantur, ideoque pervigilanter custodiant bona suae ecclesiae et confraternitatum et etiam proventus ad fabricam pertinentes. Libros speciales pro unaquaque sodalitate instituendos curent, in quibus accuratissima ratio de acceptis et expensis feratur. Transumptum rationum authenticum, Vicarii foranei subscriptione munitum, quotannis ad Episcopum mittant, ut examinetur et approbetur.

Curent parochi omnes, ut sacrae functiones quae aut praescriptae sunt, aut laudabili consuetudine introductae fuere, recte et servatis rubricis peragantur. Diligant etiam et discrete promoveant solemnitatum pompam, et si fieri potest, splendorem. Mirum est enim quantum hominem intellectu et sensibus instructum, et per sensibilia ad spiritualia ascendentem, haec pompa et cultus gravitas ad diligendam religionem perducant.

XXXII. — Propriae insuper ecclesiae suppellectilis conservationi unusquisque parochus invigilet, ut maxima in omnibus mundities servetur, et instaurationes, si quae necessariae sint, opportune et in promptu

fiant, ne propter desidiam, quod levissimo sumptu reparari potest, maiores expensas cum Ecclesiae damno postea exigat.

XXXIII. — Parochorum industria, diligentia, caritas et alacritas quam maxime eminere debent in sacramentorum administratione. Itaque ad hoc parochiale officium obeundum, sint semper prompti, faciles, benigni, quaerentes quae Iesu Christi sunt, et gaudentes de eo, quod ad animas sanctificandas divinitus vocati sunt. Non aegre ferant, si inopinato et intempestis diei noctisque horis ad suum ministerium exercendum vocentur.

XXXIV. — Diebus praesertim festis, in eorum vigiliis, et quando novendialia aliaque pia exercitia celebrantur, in sede confessionali, etiam non vocati, adsint parati ad fidelium confessiones audiendas, et diutius maneant, ut omnes paterna ope adiuvent, sive a delictorum sarcina, qui ea opprimuntur, levantes, sive eos qui ambulant in viis Domini, ut feliciori pede eas percurrant docentes et dirigentes. Extraordinarios denique confessarios, praesertim in quadragesima, in festivitatibus, et occasione exercitiorum spiritualium, si fieri possit, advocent, et de eorum adventu populum moneant, ut omnes tanto beneficio frui possint.

XXXV. — Ad fovendam populorum pietatem, parochi totis viribus laborent, non solum in divini verbi praedicatione, et in piarum sodalitatum institutione et conservatione, sed etiam in ardentissima erga Augustum Eucharistiae Sacramentum, Sacratissimum Iesu Cor, Beatissimamque eius Genitricem, Immaculatam Virginem Mariam dilectione et devotione. Ad tam egregium finem assequendum, pium exercitium vespertinum in diebus Dominicis et festis instituant, aut si

iam stabilitum fuerit, sedulo observent, in quo per seipsos, vel legitime impediti, per alium sacerdotem, visitationem faciant cum suis fidelibus ad Sanctissimum altaris Sacramentum, in quo realiter et substantialiter ipse Dei Filius Dominus et Salvator noster Iesus Christus propter nos homines et propter nostram salutem remanere voluit: Sacratissimum Rosarium B. V. Mariae devote, et, quod fieri possit, solemniter recitent, aliaeque preces peragantur, quibus finitis, aliquam brevem verbi divini praedicationem suis parochianis faciant.

XXXVI. — Libros parochiales apte diligenterque compactos habeant, et caute in parochiali archivio custodiant, in armario recte confecto, sera et clavi munito; claves ipsae a solo parochi tenendae. In praedicto armario praeterea parochus servet ceteros libros necnon omnia instrumenta parochialia; librum seu censum animarum, inventarium omnium rerum ad ecclesiam pertinentium, Constitutionem Synodalem, Decreta visitationum, Litteras pastorales, Edicta, Litteras circulares vel alia a Curia emanata, sigillum parochiale in actibus ecclesiasticis et litteris officialibus adhibendum, ceteraque omnia documenta quae ad parochiam et animas spectant. Denique index conficiatur omnium librorum et instrumentorum paroeciae, atque in sacra visitatione exhibeatur pro examine opportune et de iure faciendo.

XXXVII. — Absolute prohibemus libros parochiales quoscumque, vel alia documenta ad archivium pertinentia, ulla de causa inde extrahi et alio transferri. Si aliquando personis saecularibus gravi de causa exhiberi debeant, id fiat praesente parochi, ut super eorum securitate et integritate sedulo invigilet.

XXXVIII. — Ad onera officii sui sustinenda, quae quidem nec pauca sunt, nec levia, non vetantur, immo iure potiuntur parochi ea emolumenta percipiendi, quae per sacros canones sancita, vel ex consuetudine a fidelibus ministrantur. Caveant autem ne avaritia abripiantur; et illos etiam hortamur, ne quid a pauperibus in summa egestate constitutis exigant, nec in paupertate definienda multum inquirant.

XXXIX. — De domo parochiali conservanda iam alibi regulam tradidimus. Nunc vero in Domino hortamur, ne in ea parochi praestent stabile domicilium personis connubio iunctis, nisi Episcopus, certior de re factus, nihil obstare iudicaverit.

XL. — Caveant summopere parochi ab inordinato parentum et cognatorum amore, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat (Conc. Trid. sess. xxv *de Reform.*). Quamvis igitur ex illis sint, quos in parochialem domum excipere sacri canones et synodalia statuta permittant, non tamen recipiant, nisi illos qui bonis moribus commendentur, et pastoralium munerum implemento, debitoque paroeciae regimini impedimenta non inferant. Praeterea meminerint per ecclesiasticas leges « omnino interdicti studium augendi consanguineos et familiares ex Ecclesiae redditibus » (Conc. Trid. sess. xxv *de Reform.*); sed si pauperes sint, eis ut pauperibus, sicut et ceteris parochianis egentibus distribuant, Ecclesiae redditus non distrahentes nec dissipantes illorum causa (Conc. Prov. Vallisolet. 1887).

XLI. — Nihil obstat, quin etiam optandum est, ut cum parochi habitent ipsius tum pater et mater, tum sorores innuptas; reliquos vero de cognatione sua non expedit secum habere. Quod si omnino vitari ne-

queat, saltem studiosissime cavendum erit, ne propinqui negotiis Ecclesiae se immisceant, aut patrimonium Christi ac pauperum sibi usurpent, aut sua agendi ratione parochum fidelibus reddant invisum.

XLII. — Quando propter laboris copiam in aliqua paroecia animarum curatoribus opus sint auxiliares, i. e. Vicarii, non ideo sibi datos reputent parochi, ut ab oneribus propriis exonerentur, sed tantum ut eorum opera et adiutorio utantur iis in rebus, quae rationabili de causa per seipsos opportune exercere nequeunt. Ideoque non solum sacramenta, quae de iure ipsi ministrare tenentur, ut baptismum et matrimonium, sed etiam alia parochialia munera, nisi rationabili causa impediti sint, per seipsos dispensent; et ita partem laboris cum suis vicariis compartiantur, ut per desidiam aut pigritiam onerosiorem partem illis non relinquant; pastores enim animarum sunt, quasi Deo reddituri de ovibus suis rationem, et ideo tamquam boni pastores sese impendere debent pro illis.

XLIII. — Prae ceteris vero administratos suos parochi paterno prosequantur affectu, quos, si commode fieri posset, in ipsa domo parochiali secum habere convenientissimum foret, eiusdem enim habitationis usu et assidua vitae consuetudine, si caritas christiana viget, via praecluditur dissensionibus, unitas in paroeciae regimine procuratur, et iuniores sacerdotes, veluti quodam tirocinio, ad ministeria omnia rite peragenda aptiores redduntur.

XLIV. — Ceterum ut sibi potissime dictum habeant parochi quidquid de clericorum vita recte instituenda alibi praescribimus. Monemus autem eos, atque obsecramus vehementer in Domino, ut quanto magis praestant dignitate et officio, tanto maiori ni-